



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

§. Debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

debet ad Iudicem à quo & personas litigantes, non autem ad aliam personam, quia res inter alios acta alii non præjudicat. *l. Creditor. 60. junct. Gl. ff. mandati.* Quare Iudex appellationis tertium istum nec citare, nec alium jurisdictionis actum erga ipsum exercere potest, nisi ipse jurisdictionem impedire velit. uti *gl. hic. ait verb. alium.* Interim non prohibet ille tertius, cum quolibet contestata non sit, si velit, atque sua interfit, coram Iudice appellationis comparere, & litem promovere, vel appellanti adfistere. *c. Veniens. 38. de testibus.*

§. Cùm verò.

Qui à Coëpiscopo ad Metropolitanum appellavit, in aliis causis jurisdictioni Episcopi ordinarii sui subiectus manet, eam proinde Metropolitanus aut officialis eius impedire non debet.

7 *Not. Vnic.* Subditi Episcoporum non sunt subditi Metropolitani, quare in eos nullam jurisdictionem exercere potest, nisi in casibus jure exceptis.

§. Debet.

Etiā in causis temporalis jurisdictionis ab Episcopo appellandum est ad Metropolitanum, nisi speciali jure, consuetudine, aut privilegio ad alium appellari debeat.

Tale jus speciale est, si Episcopus feudum habeat, nam in causis feudalibus ad Dominum feudi etiam laicum appellari debet. *c. Extramissa. 6. & c. Sequentes. de foro compet. sed & hoc passim, præsertim in Romano Imperio introductum est, ut, quia causæ temporales Ecclesiasticorum apud Advocatos eorum juxta primas fundationes decidi solent, ab eorum sententiâ ad Imperatorem, tanquam primum & universalem Ecclesiarum Advocatum appellari debeat.*

§. Sententias.

Si quis appellaverit ab Episcopo ad Metropolitanum; Episcopus autem censuramulerit in appellatam, non debet Metropolitanus eam revocare, aut irritam

declarare, nisi vocatis partibus, & cognito prius de justitia appellationis. ita intelligit *Dominicus hic.*

Loquitur autem iste §. non de absolute, sed de revocatione censuræ, tanquam nulliter latae v. g. post appellationem legitime interpositam. Verumtamen hoc ipsum ante omnia cognosci debet, num appellatio legitima fuerit, sive, ut aliis verbis dicatur, appellatio prius justificari debet, cum attentata post eam, videlicet excommunicatio lata rescindatur. Sicuti hic docet *Anchor. not. 15. Abb. in c. Quafronte. n. 6. extra. h. 1.* Si enim frivola fuisset appellatio, tunc excommunicatio valeret, & ideo ad cognoscendam justitiam appellationis excommunicator citari debet, cum de honore ei⁹ agatur, sicuti monet *Abb. l. cit.* Num autem Metropolitanus, excommunicatum ab Episcopo, aditus per viam simplicis querelæ aut appellationis absolvere possit, & quo modo, traditur in *c. Ad reprimendam. 8. de off. Ordinarij. c. Pertuas. de sent. excom. v. Ex parte. 23. de verb. signif.*

§. Cùm autem.

Si ab Episcopo ante sententiam definitivam appellatum sit ad Archiepiscopum seu Officialē eius, is cognoscere debet de causa appellationis, & si eam minus rationabilē cognoverit, ulterius non procedere, sed appellatam ad suum Ordinarium remittere.

8 *Not. vn.* Si appellatum sit à sententiâ interlocutoria, aliòve Iudicis gravamine, & causa appellandi probabilis, coram Iudice ad quem, reperta non sit, non debet is procedere in causa principali, sed remittere ad Iudicem à quo.

CAPITVLVM IV.

Vt super.

PARAPHRASIS.

Innoc. IV. præcepit Iudici à quo appellatum, ut appellanti Apostolos petenti tribuat secundum priorem eiusdem Innocentij constitutionem, quæ incipit: *Cordis.* Sin autem instanter petenti non dederit Apostolos, processus eius postea institutus irritus erit, præterquam si appellationi renuntiatum sit. Not.